



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum principis, eiusque Svccessorvm
Vitae, Doctrina, Ac Ipse Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basileae], März 1550

VD16 VD16 K 2586

Epistola exhortatoria contra infideles, ad Illustriß. Maximilianum
Archiducem Austriæ, eodem autore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97854](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97854)

consilio, prudentia, & fide, quiduis sperare licet. Sed ut omittam Nyari Franciscum, Bartholomaeum Horuat, qui saepius cum uictoria, multis occisis, multisq; captis, ad regem Ferdinandum redierunt.

Frater quoq; Georgius Episcopus Varadiensis, nunc tutor regij pueri & uxoris Ioannis Vauodæ, ducis Transyluaniae, qui si firma subsidia contra Turcas uideret, descenderet facile, & promptè, ut nunc de eo certa persuasio est, cum praedictis Baronibus Hungariae, ad minus quadraginta milia equitum in re bellica expeditissimos produceret, quibus haecenus perpetua bella cum Turcis fuere.

Itaq; isti omnes, quoniam iam pertasi sunt Turcarum saeuiciem, potius cupient unanimiter studere, pro patriae salute mori, quam eorū iugo tyrannico subijci: id quod constat multorum legationibus. Tantas & tam praeualidas reliquias regni Hungarici confirmabimus, si tandem bellū mouerimus: aut omnino amittemus, si ut haecenus cessatores fuerimus.

Aduertendum est istud oraculum in Alchorano non legi, sed in alijs libris quibus magnam autoritatem & reuerentiam deferunt. Habent enim & omnes nostros prophetas, & sui generis complures.

EPISTOLA EXHORTATORIA CONTRA INFI-

deles, ad Illustrissimum Principem Maximilianum

Archiducem Austriae, Bartholomaei

Georgieuits.



Aepe mecum admiratus sum, Princeps Illustrissime, cur quā omnia uideantur Christianis polliceri uictoriā, nunquam tamen eam inter tot annos cosequantur. Habemus Christum Deum, qui unica nocte castra Sennacherib deleuit, qui Pharaonem submersit, qui sceminea manu puellae Iudith Holophernem extinxit, & ut breuiter dicam, a cuius numine uoluntateq; omnes uictoriae pendent.

Turcae contra, Mehemmetum habent, & in uita flagitiosum, & post uitam sepulchro sine resurrectione perpetuò inhaerentem: ut tantum inter utrumq; numen intersit, quantum inter uiuum uiui Dei filium, & inter hominis, & ab homine nati cadaver putridū, adeo ut in cladibus Christianorum, si natura utriusq; numinis expendatur, mortui uideantur uiuos armis potentiaq; superare. Iam cum robore corporum, dotibus animi praecellamus, quae magna praesidia afferre uidentur ad hostes profligandos, ipsi ubiq; miserime profligamur.

Quid Hungaro in duratius? quid Germano uastius? quid Gallo procerius? quid Hispano solidius? quid Italo robustius? et de caeteris nationibus taceam, quibus dotes corporis, aut meliores, aut certe aequales. Rursus si indolem animi spectes, quid Hungaro uulnerum periculorumq; securus? quid Germano generosius? Italo sapientius? Gallo ambitiosius? Hispano callidius? quorum singula uidentur posse uel dare uictoriā, uel adiuuare. Saepè uicit sine alijs uiribus audacia, saepè generositas animi, saepè sapientia, saepè honoris illa auida ambitiositas, saepè calliditas: tamen me miserum, inter tot uictrices res a uictoria excidimus.

Iam si apparatus uideas, armorūq; genera, multis rationib. Turcis praestantiores uidemur. Nostra inuenta sunt bombardae, nostra tot genera panopliae. Ipsi Persae nudi, aut seminudi ad bella pdeunt; illis arcus, nobis sloppet. hoc

pp 4 est

est nobis fulmina, illis sagittæ, quæ per dura armorum nullã uim penetrandi habent, cum bombardis uix ulla rupes obstiterit.

Sunt quidem nunc etiam Muslumanis sui bombardarij, sed rariores & indoctiores. Nunc quæso quas gentes secum in expeditionẽ trahant Scythas & Thraces, in quibus non sapientia Italica, aut Hispanica calliditas, sed inhumana quædam feritas, barbaries, animi summa incitã, indocta, stolidã: istis se addit Græcus ignauia perditus, Asiaticus luxu corruptissimus, Aegyptius non minus animo quàm corpore euiratus, Arabs excorsus, minutus, et exanguis. Quis à tali milite crederet Gallos ferocissimos, Germanos animosissimos, Itolorum ingenia, Hispanorum solertiam uinci posse? & tamen, proh dolor, uincimur: & uincimur ab ijs qui in seruitutem uincunt, & serui pro seruitute bella gerunt contra nos, qui in libertate geniti à proauis, & atauis, nobis indelibata relicta.

Quod si instituta & leges utriusq; nationis inspicias, neq; hac in parte inferiores sumus. Quid enim Euangelio diuinius? quid lure canonico regularius? quid lure ciuili sapientius aut æquius? cum illi contrã ex Alchorano uiuant, re non minus stulta quàm uana: qui liber (ut nunc audio) inter Christianos euulgatur, ut scilicet maturẽ discamus alienas leges, qui breui nostras amissuri uidemur, ut antea animo quàm ditione Turcæ simus.

Quid igitur in causa est, cur inter tot prærogatiuas bellandi semper in bello deuincamur? cur uexilla crucibus insignita, olim terribilia nõ minus infidelibus nationibus, quàm infernalibus spiritibus, nũc toties se in fugã auertant? Dicam paucis, & dicã uerẽ: Deum habemus & summũ & uerũ, sed à nobis alienatum, adeo ut prophetico uocabulo fermẽ appellari possimus nõ populus Dei. Cur enim Christus nobiscũ esset, qui à nobis per tot hæreses in tot partes dilaniatur? nam præter nomen quid nobis Christiani est? Rusticus hoc tẽpore & impurus & factiosus: oppidanus fallax & auarus: magistratus sequũtur retributiones, diligũt munera: nobilitas luxũ & ignauia: miles præter stipendiũ & prædã nihil ex bello quærit, securus quo sceptrã cadant, nõ minus infestus in suos quàm in hostes. Ecclesiastici præter pompam Ecclesiasticã uix quicquam Ecclesiæ habẽt, non sanctitatem, nõ pietatem, nõ eruditionẽ: omnes quærunt quæ sua sunt, nõ quæ Christi.

Quid ergo mirũ, si talibus moribus Christus amicus esse nolit? Bellamus igitur sine Deo: & quod calamitosius, aduersario Deo apud nos circumferuntur in uexillis cruces: sed ipse crucifixus suo fauore apud hostes uersat.

Pereunt igitur omnia, & infinitis cladibus inuoluũtur: & cum una gens Christiana cõtra Turcas pugnat, alia gens uel in alijs uersatur bellis, uel in ocio agit: miles qui in aciem educitur, nummo inseruit, non Christo: si desit stipendiũ, statim uel desertor, uel transfuga futurus. Quid ergo prodest ibi Italica sapientia? aut industria Hispanica? aut robur Germanicum? aut ferocitas Gallica? aut Hungarica audacia? ubi miles nec Christũ, nec gloriam cogitat? & ad bellum uenit, tanquam ad ganeum, ibi nepotationes suas exerciturus.

Bonas leges habemus, sed pessimos mores: bona arma, sed pessimos animos: laus est, si inter se acriter dimicent: in hostẽ si non acriter pugnent, uel dedecus non est, uel certẽ impunitũ est. Quando quis unquam audiuit militem uel ob fugam, uel ob abiecta arma mulctatũ fuisse? cum olim pœnæ capitales & decimationes nõ singulos, sed uniuersas legiones peruasent.

Trahimus igitur exiguum numerũ, eumq; moribus corruptũ cõtra tot myriades

myriades hostiū optima disciplina utentiū. Nā Turca uitia sua in castris deponit, Christianus assumit. nullæ in Turcarū castris deliciae, arma tantūmodo & necessarius uictus. In castris Christianorum luxus, & omnis luxuriæ cōmeatus: adest grauior turba meretricū, quā uirorū. Latrocinatur Hungarus, prædatur Hispanus, potat Germanus, libidinatur Italus, Gallus canrat, Anglus lurcatur, Schotus heluatur: militem qui miles moribus sit, uix ullum inuenias.

Quid ergo mirum, si uincant illi, apud quos sobrietas, parsimonia, contentia, uigilantiæ uincantur illi, qui ab hostibus uel uagi ad prædas, uel inter pocula, uel in somno, uel apud meretricem, aliasq; nequitias inueniantur: Sed hæc culpa est plebeiorū. Principes ipsi, dum mutuis bellis se conficiunt, causam præstant, ut nunquam pares uires cōtra Turcas afferamus.

Sed quia nunc bellum Gallicum finem accepit, sperandum quòd nō solum hæresis inter Ecclesiasticos sparfa, & omnis abusus ab Ecclesia tollatur: sed etiā principum discordiæ cessabunt, & tandem firma auxilia contra Turcas coibunt.

Igitur facile armabit Germania quinquaginta milia peditū, x x equitū. Nec minorē numerū cōficiet Italia. Idem uel aliquāto plus ex Gallia sperandum. Nec Hispania inferiores uires ad hanc expeditionē addet. Præterea ditiones Brabantia, Flandria, Hollandia, Zelandia, Frisia, unā cū Traiecten. decē milia, equitū & uiginti milia peditū, uel etiā maiorē numerū implebunt. Reliquæ Hungaria, Morauia, Slesia, Bohemia, & quidquid ad Istrū, Sarmatiā, Illyricū sinus habet, facile sexaginta milia equitū pduxerint.

Quòd si istis uiribus in bella eatur, propitiato numine, correctis moribus, in procliu erit uincere hostes fidei, recuperare Graciā, & Thraciam, ubi adhuc maior pars hominum Christum colit, qui auidissimis uotis expectant Christianorum arma, ad quamlibet occasionem defecturi, & suos dominos & tyrannos, a quibus miserimè uexantur, oppugnaturi: quæ res sola uictoriā uel dare, uel maturare potest.

Vbi autem semel uictoria potiti fuerimus, patebit nobis uniuersa Hungaria, & per Danubium secundo flumine facilius licebit nobis omnes machinas, & reliquos apparatus belli Cōstantinopolim deuehere, quā Turcæ aduerso flumine Viennam.

Quòd ubi apud Persas inauditū fuerit, ex altera parte usq; ad Constantinopolim excurrent. Nec cessabunt præpotentes Reges Russia, & Georgianorum, quibus non minor uis, quā odium in Turcas. Nec Imperator India Ioannes presbyter ocium aget, sed omni cōspiratione contendet, ad communem hostem opprimendum.

HAec ad te scribere libuit Maximiliane Augustis. Cæsarū inclyta proles: tum quia miseras Christianorum, & illas intolerandas calamitates sub imperio Turcarum & inspexi, & expertus sum: tum quia omnes de te eam spem, omniaq; concipiunt, quòd existimant te & Maximiliani proauitū tuos mores, patris item Ferdinandi, & Caroli Cæsaris patruū tuū relaturum: quæ expectatio hominum maximè confirmatur, dum quotidie uirtutes tuæ istius excellentissimæ indolis aspiciunt. Nobis igitur omnipotens Deus exorandus est, ut spem expectationemq; tuā, quam ipse non frustraris, fouere suo numine, & maturare uelit, quò tandem Christianus orbis à tot perpetuis cladibus respiret.

16. Calend. April.

DE